



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

December.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



D E C E M B E R.

S. ELIGIUS Episcopus.

1. Decemb.

*Negotium vestrum agatis, & opere-
mini manibus vestris, sicut praece-
pimus vobis. Paul. ad Theff. cap. 4.*

Quam altum Eligius virtute sua evolatu-
rus in caelum esset, aquila monstravit
parturienti matri per somnum visa. Puer au-
riferi instituendus traditus artem eam non
multo tempore ita perdidit, ut nemo alius
hac tam gratus Regi Clotario esset; tunc pra-
cipue ubi fidem suam ita probavit ut ex auro,
ex quo sellam unam tantum facere iussus erat,
geminas concinnaret. Interea tertiam sedem
caelo aggressus parare, animum suum, hic de-
mum artificem se ostendit: quando lacrimis
hunc perpolivit, asperis poenitentiae studiis
scalpsit, omnibusque virtutibus ita exornavit,
ut ad spectaculum caelites traheret. Etenim ex
his unum aliquem, cum de more noctem an-
te hierothecam sacrarum reliquiarum in som-
nis

nis inter preces traduceret, ipse vidit ratasque preces suas apud Deum esse intellexit, mox caput rore tam copioso perfusus & tam suavi est, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Jam quidquid arte suâ corradebat, Eligius id omne non jam Eligii sed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec alio Regum benevolentia utebatur à quibus, cum jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dictus, cum eo in munere Apostolus Flandriæ dici meruisset, cœnobìa plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum huic mandavit. *Ex Lippel.*

MEDITATIO.

Vita in laboribus traducenda.

Homo natus est ad laborem: Deus præcepit Adamo, ut terram coleret, & operaretur in Paradiso. In suâ quisque vitæ conditione laborare debet. Assuesce labori exemplo Christi, qui (ut ait Propheta) in laboribus fuit à juventute sua. Si ut par est, laboraveris, gratus Deo, tibi, aliisque utilis eris. Qui laborat, unum duntaxat otii dæmonem timet; qui verò otiosus est, omnes timere debet, quoniam otium omnium vitiorum parens, dæmonum omnium tentationibus hominem exponit,

Z 3

1. Exem-

2. Exemplo S. Eligii, principio tum diei, tum actio-
nis cujuslibet memineris, laborem tuum offerre Deo,
tuamque oblationem identidem renovare. Si quid-
piam difficile, ac molestum occurrat, vince difficulta-
tem, ac molestiam, ut honores ac imiteris Christum:
finito labore, vide, in quo peccaveris, & veniam pe-
te. Hanc si laborandi rationem tenueris, sanctitati &
æternitati laborabis.

3. Noli multa complecti, nimiùs & nullus labor
perindè nocent sanctitati; animus siquidem tempo-
ralium curis implicitus, multisque oppressus labori-
bus, nec tempus habet Deo, vacandi, nec eo, quo
deberet, sensu pietatis cœlestia contemplatur. Aliùs
hæreat menti tuæ, salutem, *unum esse necessarium*. Quo
studio quæris Dominum! *Quæris aurum & forte cum
volueris, non habebis; Deum, cum volueris, habebis.* Aug

S. THEODVLVS Confess.

2. Decemb.

*Mihi mundus crucifixus est, &
ego mundo.* Paul. ad Galat. cap. 6.

A Scenderat in id fastigium honorum
Theodulus, ut Aula illum Theodosia-
na Præfectum salutaret. Verum his etiam al-
tiora Virtus ambiit. Etenim quòd aulæ tech-
nas & insidias probè perspectas haberet, lu-
dos facere hanc vicissim voluit. Quare affem
omnem

omnem (Philippeorum millia quinque supra
 quinquaginta) liberali sparsione in miseros
 abjecit, ipse columnam Edeffæ ascendit, inde
 Aulæ fastus, minas, pericula, omnia despectu-
 rus. Ita mundo & sese altior respuit jam cum
 homunculis prandere cœpitque cum Cœliti-
 bus solâ Ambrosiâ, hoc est, Angelorum pane
 deinceps vesci. Post annos sic traductos XXX.
 cupido subiit scire ecquinam ex Dei amicis vi-
 tæ meritis æquiparandus foret. Responsum
 è cælo, Cornelio Mimo æquandum. Rubo-
 rem expressit hoc Theodulo. Adiit tamen vi-
 rum, & hæc denique sibi fateri coëgit: mimi-
 cam artem à primis annis tractasse, nunc cum
 in mentem ultima illa nec ficta Mundi scena
 venisset, serium se & frugi esse, nuperq; adeo,
 ut pudori nescio cuius Matronæ unaque deco-
 ratoris ejusdem viri, qui à creditoribus invin-
 culis tenebatur, libertati consuleret, vestem
 & supellectilem vendidisse & corrogatum in-
 de quadringentorum aureorum assem alienæ
 miseræ donasse. Laudavit tam bene claulam
 à Mimo fabulam Theodulus, & lætus iterum
 conscendit columnam suam, paulò post ex
 hac in vicinum cælum transcendit.

Ex Menais.

Z 4

MEDI.

M E D I T A T I O.

De contemptu mundi.

1. **N**oli diligere mundum: cave, ne mortiferis ejus blanditiis capiaris. Auro fulgent, quæ præbet pocula atque mel spirant; verùm plena sunt veneno. Calix verò Christi videtur felle & aceto redundare, at plenus est melle suavissimo; mundus blandiendo necat, Deus affligendo salvat. Christiane? cœlo natus es, nec expleri potes mundanis delitiis. Quid differs vitæ tuæ mutationem? quid mundi nugis retineris? *Quid agis frater in seculo, qui major es mundo?* Hieron.

2. *Noli timere mundum* Ut amor, sic timor mundi avocat ab obsequio Dei. Stultescit mundus, & adversatur Deo. Si tantillo valeres animo, eum facillè superares; quippe, cum eos duntaxat vincat, qui ignavioris sunt naturæ. Te unum, Domine, timebo, non enim mundus, aut ejus affectæ me judicaturi sunt, sed tu, Domine, tu, inquam, me judicaturus es, non ex mundi legibus, sed ex præceptis Evangelii.

3. *Contemne, calcæ pedibus fallacem mundum:* facilis est is contemptus consideranti, quoties amplis promissis amicos suos quotidie ludat, & clamat, deficere se, nec parem esse humanis desideriiis. Audi vocantem Jesum, qui veritas est. *Mundus clamat, deficio: tu Domine, clamas reficio, & miseria mea magis sequitur deficientem, quàm reficientem.* Aug.

S. FRAN.

S. FRANCISCUS XAVERIUS.

3. Decembr.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus, omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Paul. 1. ad Cor. cap. 9.

FRANCISCUM Xaverium pinximus, virum, cujus animo alter etiam Orbis angustus fuit. Dum vixit, Virgo vixit: Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in viva calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundum Deus deinde tot delitiis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpe exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *satis est Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine delectus. Siquidem multò ante in somnis tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est. Et quid aliud vigilans postea egit, cum ejusmodi hominum decies centena

Z s

millia

millia ad Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fulcos sacra undâ solus lavit, & cæli candidatos esse iussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissimè dissitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti: Omnibus omnia factus, in conviviiis etiam atque ludis animorum lucrum quæsit, invenitq; Ad extremum dum amplissimum Sinarum Regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu ad cælum an imam appulit. *Ex vita.*

MEDITATIO.

In vitam S. Xaverii.

1. **A** More Dei, in Exercitiis spiritualibus S. Ignatii, sic inflammatum est ingens Xaverii pectus, ut omnes posthac curas, ac cogitationes suas ad majorem Dei gloriam retulerit. O utinam? quibus Xaverius, iisdem ego flammis arderem? Amor cælestis accende, combure cor meum, patet ardoribus tuis. Procul hinc vani honores, procul ecenosa voluptates, nugæ nugarum? diutius me retinuitis. *Ratione plenissimum est, illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus.* Euch.

2. *Amare Proximi* ad extremas mundi oras excurrit, Sorbens etiam saniem ægrotorum, forti & indefesso labo-

labore vacat omnium salutem. An pari charitate complector proximum? An ipsi præsto sum, tum animo, tum corpore laboranti?

3. *Amore Crucis* vincetus & Martyr Jesu Christi in sanctorum regno mori cupit. Omnibus omnino voluptatibus abstinet; nullum omittit poenitentiae genus, ut sua aliorumve luat peccata. *Amplius* laborum, *amplius* dolorum semper perit; & ego (quæ mea ignavia est) ubi me minimus doloris aculeus pungit, statim clamo. *satis est.* Domine quantum libet caro reluctetur, auge precor dolorem, si prius auxeris patientiam, & amorem. *Amplius Domine, amplius.*

S. BARBARA V. & M.

4. Decemb.

Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis.

Christus Luc. cap. 21.

Nullius tam à vita nomen ablusit, quàm Barbaræ. Dioscorum habuit parentem Deorum Mancipium, ipsa Deo addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si unquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut Fidei radii splendidiùs animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit,
gnara

gnara qui mentibus lavandis ex hac fontes sca-
turiant. Interea cum stomacho Dioscorus in-
telligit, filiam Christianam esse, & ferro inse-
quitur. Sed sinum, quo parens expulerat,
mons præbuit disclusus. Et lubens thesaurum
hic occultasset, nî, qui Miraculum viderat, in-
nocentem oviculam pastor nequam prodidit.
Captam itaque filiam inaudito exemplo
ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua
videt, sanam à Christi manu iterum affligi,
quin ubera etiam castissimæ abscindi, non fa-
cturus, si bibisset ubera. Hinc novus filix suæ
Leno per urbem ludibrio circumduci sustinet
unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno
carnifex sua manu non barbaram filiam barba-
rissimus parens demetit. Sed Carnificis Car-
nifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus
extinxit. Nunc Barbara illis è cælo opitulatur,
qui, ne sine sacro epulo diem ultimū obeant,
orant. Testis ejus rei locuples. Stanislaus est
sanctissimus è Societate Jesu adolescens;
quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia.
Ex Baron.

MEDITATIO.

In vitam S. Barbaræ.

S Barbara Deo mavult obedire, quàm suo paren-
ti, quamvis monitis adderet, & tormenta. Tu
verò

verò nunquid secus agis? Nunquid aliquando dimittis
divinum obsequium, ut parenti aliisque obsequaris?
Adolescens cape exemplum de sancta Barbara. Disce-
de à parentum tuorum voluntate, si mandatis divinis
adversetur. *Melius est, contristare parentes, quam contri-
stare Deum.* Joann. Clim.

2. Sanctæ Barbaræ parens Carnifex fuit natæ suæ:
verum irato Deo meritas pœnas dedit: occisa quippe
natâ, occidit & parens, tactus cœlesti fulmine. Ti-
meant parentes, timeant propinqui, timeant amici
qui filios propinquos, & amicos avertunt ab obsequio
Dei. Num etiam tu dicitur, & pravo exemplo ab-
strahis socios tuos à piis operibus?

3. Sancta Barbara, morientium singularis patro-
na est: ut qui ipsius opem implorant subitanè & im-
provisâ morte liberentur à Domino, eam itaque im-
posterum invoca: sed ut hæc Beatissima Virgo tibi si-
ngulariter opituletur, imitare ejus virtutes: & ne incau-
tum te mors opprimat. *Exspecta quotidie finem visa, &
ad illud iter te para.* S. Ephrem.

S. S A B A S Abbas.

5. Decemb.

*Scio enim cui credidi, & certus sum,
quia potens est, depositum meum ser-
vare in illū diem.* Paul. 2. ad Tim. c. 1.

S Abam si spectasses, Imperatorem dixisses;
ut

ut qui monachorum exercitum non unum
 ducebat, Viros omnes, quales vultu etiam se
 ferebant, cum ille imberbem in castra sua ne-
 minem admitteret. Sævientis fornacis flam-
 mas scribitur Crucis signo extinxisse; feras &
 feris magis feros homines domuisse: Agare-
 num qui fallaci animo accesserat, terræ hiatui
 devovisse: templum, cœlo monstrante, in
 rupe alicubi reperisse: in Genium malum ab
 ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem
 nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam
 Leonem, qui medicam Sabæ manum expet-
 tus erat, ajunt Asino custodem ducemque ad
 pascua fuisse tamdiu, quoad Agaso Luxurie
 foedè se contaminavit, tunc enim devorasse
 Asinum. Ipsum Sabam, cum ad Anastasium
 Imp. hæreticum iret, anteambulonem ha-
 buisse Angelum, verbis impium liberis casti-
 gasse, mortemque ei imminentem multò an-
 tè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Im-
 peratorem palam coronam cœlo vidisse des-
 cendere & caput Sabæ ambire, qui tamen ex-
 orari non potuit, ut heredem Imperatori apud
 Deum impetraret, quòd hunc hæreticorum
 partibus accessurum sciret; Denique in cœ-
 lum abiisse Anno D. XXXI. inter DD. Mar-
 tyrum Comitatus, *Ex Metaphr.*

MEDI

MEDITATIO.

De Spe.

1. **S**pera in Deo, sed spei tuæ accedat timor; spes enim sine timore desiderium parit, timor verò sine spe, desperationem. Bonus est Deus, vult omnes salvos fieri, quid dulcius? Justus est Deus, est potens ad Tartarum detrudere, quid terribilius? Timeo justitiam, spero misericordiam. Miserere mei Domine, non secundum magnam justitiam, sed secundum magnam misericordiam tuam.

2. Domine à bonitate tua infinita cum præsentia, tum futura bona spero, non autem ab hominibus, aut ab ingenio, labore & amicis meis. Tu, Domine tu solus es spes mea. Non à te honores, divitias, & voluptates postulo: facebant, id genus bona, amorem tui solùm mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultraposco. Heu? ubi fides, ubi spes mea? An verè cælum spero? cum tantùm terræ adhæream. *Sanè spei nostra ac fidei pravaricatores sumus: simulata fides, fucata videntur esse, quæ dicimus.* Cyprian.

3. Non in laboribus meis, sed in meritis Jesu Christi sita est spes mea. Dum me ipsum considero, infernum timeo; dum Jesum Cruce pendentem aspicio, spero Paradisum. Veniat Dæmon: veniat caro. *Non confundar, si fortè consurgant adversum me, quoniam non in me, sed in te speravi.* Aug.

S. NI-

S. NICOLAUS Episcopus.

6. Decemb.

Sinite parvulos, & nolite eos prohibere, ad me venire: talium enim est regnum cælorum. Christus Matt. cap. 19.

MOres cum lacte ab Infantia imbibi Nicolaus probat, qui cum à primis cunabulis diebus Mercurii & Veneris semel in die, idque noctu tantum, maternum lac admisisset, eam consuetudinem jejunii per omnem deinde vitam sacrosanctam habuit. Adolescens divitias omnes in pauperes dilapidavit, ad hoc ingenio etiam, ne gloriolam mercaretur, usus, uti tum fecit, cum tribus puellis, quas noverca paupertas prostituere parabat, dotem trinis noctibus furtim per fenestras immisit. Subinde cum pietatis causâ terram Christi vestigiis nobilem peteret, iratum mare quieti, nautam extinctum vitæ reddidit. Post ex eremo ad homines divina voce evocatus, & divino item indicio Pontifex creatus Mytræ, pro libertate Catholica fortiter carcerem & vincula tulit. Pro salute suorum sollicitus etiam cum longissimè abesset, adfuit tamen

tamen. Ita Imperatori quandoque Constantino conspectus iussit sententiam revocare, quam in tergeminos Tribunos innocentes tulerat. Ita institorem in somnis monuit, frumentum, quod haberet, in urbem suam, quam fames vexabat, conveheret. Aliàs vocatus à navigantibus, sæpius opem tulisse visus est. Quid? quòd animum Nicolai tumulus ejus est imitatus, oleum miseris propinans. tumulatus verò memoratur circa annum CCCXXVI. cum moriturus Angelos obvios habuisset, etiam nobis occursuros, si rectam viam insistamus. *Ex Iustinian. & Brev. Rom.*

M E D I T A T I O.

De Felicitate impiorum.

1. **S** Nicolaus tam sedulò oves sibi commissas curavit, ut dignus fuerit habitus qui pro Christo in exilium pelleretur. sæpè justì persecutionem patiuntur in hoc mundo, ut omnino displiceat illis mundus. Gaudete afflicti! miseriar, persecutio signa sunt vestrarum prædestinationis. Frigeret fortè in animis vestris rerum cœlestium amor, si vos mundus amaret, & si mundi bona degustaretis. *Mala que nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Greg.

2. Sæpe improbi in hoc mundo vivunt felices, quia Deus prævidens eos in æternum infelices fore brevem felicitatem in quorundam rectè factorum mercedem

dem ipsis elargitur. Agit cum illis Deus ut Medicus cum infirmis desperatæ salutis, quibus omnia concedit. Sunt victimæ ad carnificinam saginatae. *Improbi ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostia ad poenam coronantur.* Minu:

3. Vertetur olim rerum facies. Justi! nunc fletis, sed gaudebitis. Impii! gaudetis, sed gaudia vestra æternus luctus excipiet. *Vicibus disposita res est, nunc illi latantur nos afflicti amur: Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut cum ipsi lugere cœperint nos gaudeamus.* Tertull.

S. AMBROSIUS Episcopus

7. Decemb.

Vide Ministerium, quod accepisti in Domino ut illud impleas.

Paul. ad Coloss. cap. 4.

Ambrosii Infantis osculum apes ajunt in-
sedisse, verissimos ejus eloquentiæ va-
tes. Deprompsit sanè, cum libuit, ore suo
melos, & hoc ad eò ipsum Augustinum inel-
cavit, ut qui à Manichæis venenum hucusq;
hauserat, ex ore deinceps Ambrosii mel lege-
ret, Episcopum Mediolani prodigiosus præco
Infans proclamavit. Dicenti ad populum asta-
re bonum Angelum ipsi hæretici viderunt &
inviderunt. Inter hos multum illi negotii Ar-
riani, plus Imperatrix Justina, latrones, Magi-

que

que, plurimum dæmon malus fecit, sed incas-
sum omnes Majestatis Pontificiæ memor, ne-
que majestatem Imperatoriam exhorruit. Ita-
que Theodosium ob cædem Theffalonicen-
sem publicè reum non nisi post publica pœni-
tentis animi signa templo pedem permisit in-
ferre, illud Davidis exemplo se tuenti incla-
mans, secutus es errantem, sequere pœniten-
tem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante
pedes Episcopi jacere, nunquam ita extollen-
dum, nisi ita demisisset sese. Porro Ambro-
sius obsessos ab orco libertati, Infantem de-
mortuum vitæ reddidit, Divorum multorum
ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ
transtulit, ipsius verò calumniatores morte
subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cæ-
lesti voce excitus Honoratus Ep: sacro pane
refecit, morienti verò blandum arridere Chri-
stus visus est, arrisurus etiam nobis in morte,
si silentes in vita viderit. *Ex Paulino.*

M E D I T A T I O.

De vita S. Ambrosii.

S. Ambrosius in Mediolanensi Ditione & in adja-
centibus provinciis pro Imperatore præfuit,
quo in munere religiosus Cæsari reddidit, quæ erant
Cæsaris, & quæ Dei, Deo. Tuis in negotiis ejus imi-
tare prudentiam. Placeas hominibus, modò non dis-
pliceas

pliceas Deo. Probitas debet cum mansuetudine & morum honestate conjungi, & hæc mansuetudo est quasi fundamentum Christianæ virtutis.

2. Nihil non egit, ut Mediolanensi Episcopatu non oneraretur, at Deo vocanti resistere non potuit. Ejus exemplo fuge honores, sed ne te præbeas contumacem, si te vocaverit Deus. Inspice imaginem Sancti hujus. Innititur Sacræ Scripturæ, ut doceat, Evangelii præceptis, non propriæ prudentiæ innitendum est. Manum auri admovet, ne vanos audiat sermones cæli intuetur, unde totus pendet.

3. Cùm hic sanctus propiùs abesset à morte. *Non ita* (inquit) *inter vos vixi ne pudeat me vivere, nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* An auderes eadem de te dicere? An Deo probatur tuus vivendi modus? Quid tibi conscius es? Scrutare conscientiam tuam. *Incorruptus Iudex conscientia, cum adversus homines exurgit, clarâ voce clamat & accusat & ostendit, & ante oculos scribit magnitudinem peccatorum.* Chrysof.

CONCEPTIO B. V. MAR.

8. Decembr.

Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus, corona stellarum duodecim.

Apoc. cap. 12.

Specu-

Speculum sine macula ostendimus, Virgi-
 nem conceptam. Festi huius diei originē,
 quæ sub annum cœpit millesimum ac septua-
 gesimum, sic habet. Wilhelmo Nortmanno-
 rum Duce Angliâ potente, missus ab hoc
 Helsinus Præsulest, qui hostium numerum
 ac robur exploraret. Dum facit hic imperata,
 forte per eos dies gravi tempestate jactatus.
 Nulla aliunde ope affulgente, Stellam maris
 Mariam vocat. Adest pro hac è cælo Nicolaus,
 spondet manum Naufrago, si Virginis con-
 ceptæ diem habiturum se festum spondeat. Il-
 lico convenitur. Subsedit mare, enarat & vo-
 ta Helsinus Sospitatrici exsolvit. Atque hæc
 initia amphora D. Anselmus fecit: amplissi-
 mis deinde indulgentiis ornavit Sixtus IV.
 Pont. Max. in VIII. continuos dies, quose-
 tiam ipsos luculento Miraculo Numen pro-
 bavit. Etenim Nicolaum Pratensem memo-
 rant ad icona Immaculatæ Virginis rosam cū
 his precibus deposuisse, vellet, juberet, si gra-
 tum ei esset, octo dies memoriam Conce-
 ptionis suæ agi, nunquam eo anno rosa illa
 marcesceret, floruit semper, & cum rosa etiam
 multorum etiamnum in hanc diem pietas flo-
 ret, quam ipsa ædium limina in Hispania his
 verbis loquuntur: *Benedictum sit S. Mysterium im-*

maculata Conceptionis Mariae. Quid? quod aliter sentientes DD. rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certe accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat: Non habet purum, sed ostendit maculas, speculum. *Ex Baron. & Spinello.*

MEDITATIO.

De Immaculata Conceptione B. V.

1. **D**eus potuit Mariam ab omni peccato præservare, utpote qui sit omnipotens nihilque non possit fieri in hoc mysterio. O Mater Salvatoris! vix me præ gaudio contineo, quod in conceptu tuo peccatis vacua divinis gratiis redundâris. Absit, ut eradam aliquando fuisse te peccato fœdatam.

2. *Deus debuit* facere ipso decoro postulante, ut originali peccato careret Maria. An permisisset Pater, ut Filia sua, & mater filii sui. demonis mancipium fuisset? Quid? Dæmon sponsam Spiritûs Sancti deturpare ausus esset? Quid? Templum, ubi divinitas corporaliter erat habitatura, peccato fuisset pollutum? Dei major est in Mariam amor, nec dubita de Conceptione Immaculata & cogita si Deo curæ fuit ut ne vel momento viveret mater Dei cum macula quantum odium sit Dei erga malos sordibus peccati diu inhærentes.

3. *Deus fecit* singularem hanc gratiam Mariæ. Ita censet universa Ecclesia. An is ego sum, qui alienum ab Ecclesia iudicium habere velim? Ah! nunquam, sed doleo, quòd, purissima cum sis, animus meus tot sordi-

sordibus inquinatus sit. In peccatis conceptus sum, in peccatis. Vivo, & haud scio an moriturus sim in peccatis. Ad te confugio, scio enim, quòd, qui ad Mariam accesserit, impossibile est, ut pereat, haec est tota ratio spei mea Bern.

S. SYRUS Episcop.

9. Decembr.

Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 13.

Sacra nostra Syrus à D. Hermagora est edo-ctus ipse Papienses docuit, multum ea in re S. Juventii opera usus, quem sociam expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte Syrus noster medius Martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostra dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumulto mortuum exivit, & cum primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisque eius modi inducti facilè Christianis accesserunt; tunc praesertim, cum novo hospiti cedere hospitem Orcinum viderunt, qui è puero Syri imperio illico adergastula sua migravit. Adde è plurimis aliis illud, quod nuñ

A a 4

Papien-

Papientibus admirationem parere poterat; nobis iustissimum metum potest, si impiati sacram mensam frequentemus. Ausus est Hebraeus inter Christianos profanus accumbere, Divinum cibum ore exceptum, non stomacho, sed coeno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare Scelus advertit, qui tamdiu miserabili incendio impurum exusserunt, dum quæ Palato impio pendeat, Hostiam sacram Syri manibus reddidit. Quid hic Christiani? porro mensam cum Judæo impuri acceditis? Non sentitis Ultiores hos ignes? graviores sentietis. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De Communione dignè frequentanda.

1. **T**Ria documenta dedit Christus ad dignè communicandum. Primo decet desiderare *Desiderio inquit desideravi vobiscum manducare hoc Pascha.* Desiderat Dominus intrare corpus tuum, & tu O! torpide homo non desideras esse cum Christo, ut Deus sit tecum, & tu in Deo. Quoties desiderium hoc excitas vel spiritali communionem, vel devotâ Eucharistiz visitationem. *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur.* Job. 31.

2. Docuit etiam exquisitam munditiam lavando pedes Discipulorum. Non voluit tantùm discipulos suos mundos

mundos esse manibus, id est operibus sine culpa, sed etiam pedibus, ut nequidem sint vestigia culparum in communicantibus: quâ præviâ satisfactione expurgas vestigia culparum tuarum, pœnas per culpam promeritas? *Si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui eam scindunt, puniuntur. quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant quod illi, qui clavus eum Cruci affixerunt.* Chryl.

3. Docuit humilitatem, abjiciendo se ad pedes Apostolorum *Vbi mihi nunc locus superest.* exclamat S. Borgia *si Dominum meum video infra pedes Iude;* Et si intra putridum cadaver cuiusque peccatoris video Christum ingredientem, O Dominus meus? O Deus meus! quid ultra ego cinis superbio?

S. MENNAS Martyr.

10. Decembr.

Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Pet. 1. cap. 2.

MEnnam Maximinus Antiochiæ præfecit, suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica unquam melius illic stetit, quàm cum Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis,
alios

alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Chri-
 stum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit
 Maximinus, qui rem Deorum restitueret, Her-
 mogenem misit. Hic de loco ac munere Men-
 nam sed non perinde de constantia deiecit, ut
 qui relecta à pedibus carne in sententia tamen
 perstitit, neque post erutos oculos linguamq;
 vel à via virtutis excessit, vel clamare animo
 Christum destitit; quin cum subnoctem me-
 dicinam membris omnibus ipse Christus fe-
 cisset, & Angeli palam se Martyri junxissent,
 associare etiam se Hermogenes non dubitavit,
 pulchrâ Metamorphosi ex tyranno Episcopus
 Urbis factus. Tot damnis maclatus Impera-
 tor ipse adfuit, Deosque & se ulturus Hermo-
 geni manus pedesque auferri cremarique, ip-
 sum ventre discisso aquis mergi, Mennam ve-
 rò ex arbore, ex Mennæ pede saxum suspendi
 iussit, nobile anathema. Sed ecce mortem
 tunc uterque, sed & postridie Maximinum
 iterum triumpharunt capite truncati. Ossa
 quoque tumbâ ferreâ condita & in mare abje-
 cta Nautæ Angeli Byzantium deportarunt, à
 loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc
 quiescunt, qui duriter olim vixerunt.

Ex Surio.

MEDI-

MEDITATIO.

Martyr perfectus est Orator.

1. **M**artyr delectat, Deum videlicet, & beatos omnes, cum forti animo martyrii palmam demetit, dum minas & blanditias Tyrannorum despicit, & quantum in se est, imitatur Jesum Crucifixum, Stephanus vidit celos apertos, & Jesum stantem, ut ejus triumpho oculos pasceret. Possum ego Dominum gaudio afficere, si vitæ hujus incommoda moderatè, & alacriter feram.

2. *Martyr docet* infideles fidei nostræ sanctitatem; ita S. Mennas Hermogenem docuit, & adduxit ad Christi fidem prò Deo? quis in dubium revocaret Bonitatem & potentiam tuam, si Martyrum miracula, eorumque mediis in suppliciis lætitiâ perspiceret? *Neque enim, se nihil dulce est Martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent, amaritudo eorum à quo vis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisquam gustare poterat* August.

3. Postremò *Martyr movet* fidelium animos, etenim, qui in obsequio Dei remissiores erant, sanguine & vulneribus Martyrum ad martyrium accendebantur. An potes etiamnum Martyrum vitas legere, quin Deo serviendi, & in ejus gratiam aliquid patiendi desiderio accendaris? Audi Martyres è cælo perorantes, & monentes quemlibet Christianum, ne in otio & quiete Dei pacem & amicitiam amittat, quam servârunt,

S. DA.

S. DANIEL STYLITA.

II. Decembr.

*Sine intermissione orate. In omnibus
gratias agite. S. Paul 1. ad Theff. c. 5.*

COelo vicinus Incola Daniel est, qui an-
nos XXIX, columnam habitavit, indeq;
tempestates & cum his mortalia omnia gene-
roso supercilio despexit, orci ingens terror
Superis gratissimum spectaculum. Nempe
terris adeoque se altior Clientes sibi que obno-
xios reges habuit. Ita Leonem filio beavit &
mortis periculo exemptum Imperatorem sibi
vitam debere fecit. At Zenoni regni jacturam
longè, antè vaticinatus est. Contra Basiliscū
verò Ecclesiæ hostem ut pugnaret, è columnā
descendit & impendentes Numinis iras sa-
vienti objecit non vanus Augur. Jam & in Dæ-
monas malos regnum tenuit, éque corpori-
bus humanis, cum libuit, proscripsit; fuit que
cum mulier, quæ Divi Innocentiam infami
rumore aspererat, à vindice Genio obsessa,
non potuit obsidione nisi ab ipso Daniele li-
berari, Cæterum cum caelo uti propinquum
ita frequens illi fuit commercium, sub ulti-
mos præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites
pluri-

plurimi ad agrum viscerunt. Horum nomina prodidit hominis item Incola Dæmon, uti & horam, quâ moriturus Daniel & ipse fugandus erat. Obiit verò Anno CCCC. LXXXIX. In corpore, quod diu tergemina Crux illustravit, tumulando Reges laborarunt. Animus fecit quod in vita jam fecerat; coelū habitavit.
Ex Metaphr.

M E D I T A T I O.

De Recollectione.

1. Solent viri pii, quidquid aggressuri sunt, Deo commendare, & inter agendum mentis oculos ad Deum identidem convertere, ut renovent puritatem intentionis, & impetrent gratiam, quæ omninò necessaria est ad felicem exitum omnium susceptorum; absolutâ demum actione, considerant, an benè, vel malè egerint: si benè, gratias agunt deo, si malè veniam ab ipso petunt. An ita agis?

2. Hac ratione exterminantur vitia, & virtutes facile acquiruntur. Ideò peccata peccatis cumulantur, quia nemo est, qui recogitet corde; nemo qui omninò, sibi persuadeat Deum esse spectatorem, & remuneratorem omnium actionum suarum; enimverò, an peccare auderes, si teneres firmâ persuasionem, Deum te videre, cum peccas? si respiceres paratam mercedem iis, qui pro Christo, & ut Christus, laborant, aut patiuntur?

3. Facilius est quàm putas, colligere sese, & Deum
 semper

semper in mente habere. Omnes res creatæ alliciunt ad amorem Creatoris, cùm considerantur ut effectus erga nos divinæ bonitatis, & imagines perfectionum Dei. Cœlum, terra, sol, planetæ, omnia demum enarrant gloriam ejus. *assuesce eorum vocibus & à rebus creatis ascende ad creatorem, qui sanè longè pulchrior est, quàm omnia quæ vides.* Aug.

S. SPIRIDION

12. Decembr.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam machatus est eam in corde suo.

Christus Luc. cap 5.

Spiridion ex opilione Cypri Episcopus non vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentum emeret. Alio item tempore cùm avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset. Spiridion huic disertis verbis in crastinum Annanam spopondit. Neque aliter factum quàm dictum Aqua um alluvio auctum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In

fures

fures etiam non minus beneficus quàm comis fuit: Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, & arcana Numinis vis ligatos omnes Spiridioni tradidisset, exsolvit hic officiosus & viæ comitem abeuntibus ultro ambulare arietem iussit. Porro filiam, quàm, dum olim in matrimonio ageret, mors sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cœlo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, deniq; canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, postquam illum laudibus omnis ætatis homines maectaturi essent. Tu etiam discce hic non senes modo, sed Juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

MEDITATIO.

De pravis Cogitationibus.

I. **C**Ave tibi à triplici cogitationum genere: ab iis, quæ animum avocant ab oratione; etenim tantùm abest, ut, qui per orationem alienas cogitationes admittit, peccatorum veniam impetret, ut novis potiùs peccatis obstringatur. Actibus fidei frænatur
animus

animus meditantis, & præposteræ cogitationes dissipantur. Deus te videt, audit preces tuas, nec abibis impunè, si vagari animum facilè passus fueris.

2. Cave tibi à cogitationibus, quæ castitati adversantur: eò periculosiores sunt, quò blandiùs in animum nostrum irrepunt, ac oblatâ voluptate delinunt, vel uno momento gravissimum scelus admittere possumus. Cave inquam: mentem aliò diverte; mortem meditare, judicium, infernum. Ideò his molestis cogitationibus vexaris, quòd pluribus quàm par est rebus tum aures, tum oculi tui pareant, quibus tanquam fenestris, mors intrat.

3. Dæmon nonnunquam suggerit dubia circa fidem sanè periculosissima, morte præsertim imminente, at dissipantur humilitate, & oratione. Fides est donum dei, quod Christiano eripi nequit, si imploret auxilium ejus, à quo accepit. Si tamen orationibus tuis molestas cogitationes adversus fidem abigere minùs possis, adhibe repetitos fidei actus, & quò difficilius investigare te videris, eo reverentiùs admireris. Eul.

S. LUCIA V. & M.

13. Decembr.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. Joan. i. Epist. c. 4.

Si

SI Virgo è cælo sidus lucet, Luciam esse cre-
 didero Virginitatis laude præ aliis illustrē.
 Hæc dum cum matre ægra ad tumbam D. A-
 gathæ precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis
 primò nuntium matri ferens, tum Lucie
 mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ.
 Sic igitur moritura Lucia omnium primò te-
 stamentum cogitat, & pauperes non jam scri-
 bit sed facit hæredes. Id enim vero non feren-
 dum ratus Lucie sponsus, queritur apud judi-
 cem, & Sponsæ dotem sibi clamat deberi; hic
 demum agnoscit in amoribus non se, sed
 Christum esse. Mox igitur amoris ira successit,
 Dei Nupta Lenonibus traditur, mancipiis a-
 moris prostituenda. Sed nequeunt mille ma-
 nus unam Virgunculam, nequeunt funes &
 plura boum juga de loco, minùs de proposito
 casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur,
 rogos accenditur. Sed lucet pulchrius igni-
 bus suis Lucia. Gladio trajicitur; sed vivit Vir-
 go & Viros animat, & è flammis Imperatori-
 bus mortem, Syracusanis præsentem opem,
 Ecclesiæ pacem vaticinatur. Deniq; dum Ju-
 dex in vinculis Romam abducitur capitis
 damnandus, divino cibo recreata, cælo Si-
 dus, ut dixi, inseritur. Sed & tibi illic adhuc
 locus est Mariane. Stella & tu es, si Vir-

goes. Fuisti Ah! stellam cælo credas decidisse.

Ex Surio.

M E D I T A T I O.

De dignitate hominis.

1. **P**restantissima sit, necesse est, dignitas hominis, quippe cujus causâ mundum creaverit Deus, ac omnia subjecerit sub pedibus ejus cùm consideras, quidquid tum in cælo, tum in terra pulchrius est, jure dicere potes, nobilior sum his omnibus, utpotè, cùm ea omnia facta sint, ut ferviant mihi. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus?* quos his omnibus præposuisti: sed heu? parùm memores nostræ dignitatis, rebus creatis, mancipiis nostris non rarò servimus.

2. Ad hunc finem homo creatus est, ut Deum amet, & ipsi serviens, salvus fiat. Nõne tantus finis arguit hominis nobilitatem? ô homo? sursum cor tuum, Deo, creatus es. Ut quid derelicto Domino, qui fons est bonorum omnium, terrenarum voluptatum rivulos consectaris? *oculos erigamus ad cælum, ne oblectamentis, & illecebris nos terra decipiat.* Cyprian.

3. Deus clariùs ostendit, quanti faceret hominem, cùm unigenitum filium suum dedit in pretium Redemptionis ejus: patet hac redemptione, quanti valeamus, & quanti nos æstimet Deus: sed multùm sperat, qui multùm dedit. *Novis, quanti ei constiterit homo suus; non ergò nobis viles sumus, qui tam pretiosi Deo fuimus.* Euch. Emiss.

S. NI.

S. NICASIVS Archiep.

14. Decemb.

*Populus hic labiis me honorat: cor
autem eorum longè est à me.*

Christus Matth. cap 5.

Quidni animos etiam tu Lector ad pugnam sumis, toties qui sanguinem Martyrum vides? Hic Nicasii Rhemensis Pont. & sororis ejusdem Germanæ Eutropiæ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias Dux barbarus, jamque Rhemensibus etiam malum minabatur, cum Cives ad Asylon suum Nicasium confugerunt. Ille exitium Urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoq; exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suasit: neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ huc usq; ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus Eutropia stipante obviam hosti ad D. Virginis progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum

Bb 2

formæ

formæ milles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos Carnificis involat mortemque invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cujus copiæ visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos coniecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terra tegerentur, splendore olim his ipsis certatura.

Ex Surio.

MEDITATIO.

De oratione vocali.

1. **O** Ratio, quæ voce exprimitur, ita Deo placet, ut ipse Dei filius eam Apostolos suos docuerit: *sic, ait, orabitur: Pater noster, &c.* Oratio vocalis utilis est incipientibus, progredientibus, & perfectis. Quasnam pro more fundis vocales preces? habe tibi pensum aliquod orationum, quod quotidie fideliter expleas.

2. Olim dixit Deus per Prophetam Isaiam, *populus hic labiis me honorat, cor autem ejus longè est à me.* Nonne in te cadunt hæc verba? S. Augustinus lacrymas tenere non poterat, si quando Psalmodum cantus audiret. Tu verò, quo pietatis sensu afficeris, cum vel audis, vel recitas horarias preces? Memineris, Deum eos non audire, qui arcanas ejus voces non audiunt. *Quæ ratio est, cur doleamus; nos non audiri à Deo cum ipsi Deum non audiamus.* Salyjan.

3 Non

3. Non placent Deo longiores preces peregrinanti animo, & volucris linguâ deproperatæ. Satius est, vel unicam orationem Dominicam attentè recitare, quam effundere copiosum orationum flumen. Meditare singula verba, sacræ hujus orationis, quam Christus ipse composuit. Me felicem! qui quolibet tempore, & loco cum Deo loqui possim. Ah! pudet me, toties Deum orare sine reverentia, sine attentione. *Quomodo erit Deus in medio tui, si tecum, ipse non fuerit? ubi deest ille, qui poscit, quomodo aderit, qui poscitur?* Euf.

S. CHRISTIANA AN-
CILLA IBERA.

15. Decemb.

*Gratias agentes semper pro omnibus,
in nomine Domini nostri JESU
Christi, Deo Patri.* Paul. ad Eph. c. 5.

Hujus quoque Nomen nescimus, credo, quia virtus supra coelos hos evexit. Illud satis constat, vixisse cum rerum Constantinus potiretur, & iberis servitutem serviisse; cæterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hac Serua Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ Matronæ gravi morbo afflictum precibus ad Deum fufis valetudini re-

Bb 3

stitue-

stituerat, cum ejus facti rumor ad aures Regi-
 nae gentis perlatuſ est tunc itidem graviter
 fortè è morbo decumbentis. Ergo, cum in
 ſpem valetudinis & ipſa veniſſet, deportari
 ſervulorum manibus ad Divam noſtram vo-
 luit. Ibi in lectulo ſervili collocata ſanitatẽ
 extemplo & vires recepit, quas fruſtra in re-
 giis ſtragulis ſuſpiraverat. Ut verò grata Nu-
 mini foret, Autor eſſe conjugì regi cœpit, ut
 Chriſto ſe dederet, cui morbi & mors ipſa
 jam parerent. Iſte moris moras nec̄tebat, dum
 intervenandum iratos & cœlos & ventos ex-
 pertus & in ultimum vitæ periculum devolu-
 tus opem Chriſti præſentem ipſe etiam ſenſit.
 Tum verò Templum Deo poſuit, in quo Di-
 va hæc columnam, cum viribus nullis poſſet,
 precibus erexit, ſuſpenſamque in aère tam
 diu ſervavit, dum ſpectantibus omnibus
 ſuoſte motu in locum ſuum deſideret. Atq; in
 hoc templo primas Chriſto iberi aras, pe-
 ctora ſua devoverunt. Gere caſtum Cor, &
 Templum Salomoneo præſtantius erexiſti.
Ex Socrate & Theodor.

M E D I T A T I O.

De Ingratitudine.

1. **D**Ebes Deo gratias agere pro acceptis ab eo be-
 neficiis, Dic, amabo quot, accepisti? multa
 cognoscis

cognoscis, plura ignoras. An illi grates retulisti, quòd te creàrit conservarit, redemerit: quòd natus sis ex Christianis parentibus, quòd divitias sanitatem, & ingenium dederit? Deo memorem te præbeas tot gratiarum: Tuus sum Domine, me tibi totum trado.

2. Vitium ingrati animi exsiccat divinorum beneficiorum fontem; Deus gloriam suam magis amat, quàm, qui eam alteri daturus sit: eam furaris gloriam, cum ipsi gratias non agis, eumque cogis, ut nova tibi deneget beneficia. Ah Domine! in adversis, ut in prosperis te laudabo; omnia quæ mihi contingunt, excepto peccato, argumenta sunt tui in me amoris. O cæcus! O ingratus hominum animus. Pro naturæ bonis, & quidem saluti sæpè noxiis, Deo grates rependimus. *Discamus non solum in prosperis, sed etiam in adversis gratias agere.* Greg.

3. Triplex est ad imum hujus vitii gradus. 1. Oblivisci beneficiorum 2. Malum pro bono reddere. 3. Uti beneficiis in contumeliam benefactoris. Quoties naturæ dotibus usus es ad offendendum Dominum? si Deum obliviscaris beneficientem, senties corripientem. *Sciatis, hanc esse ira Dei censuram, ut qui beneficium non intelligitur, plagis intelligatur.* Cyprian.

S. A D O Episcopus.

16. Decemb.

*Memor esto itaque, unde excideris:
Et age pœnitentiam, Et prima opera fac.* Apoc. c. 2,

Multum profectò confert, cum quibus
 adolescas, & senii fructus plerumque
 juventutis floribus conformes sunt: nec mi-
 rum, nam arborum id est, qualis & homo,
 quamvis inversa, si quidem de cœli succo vi-
 vat. Ado, ut nobilium mos erat, admodum
 puer, Monachis creditus à parentibus, ut in
 cœnobio poneret virtutum fundamenta.
 Magno id operæ pretio in eo factum est: nam
 vix concepto Religionis amore adhuc Ephe-
 bus jam Phæbus erat, adeò præ aliis, in jun-
 cta nobilitati virtute effulsit, ut, Viennæ de-
 functo Pontifice, cum urbem transiret, ob
 sanctitatis famam concordii omnium voto, in
 successorem electus, inque vacuâ cathedrâ
 sit collocatus. Amplus is campus fuit Ado-
 nis pietati & misericordiæ: palatium ejus e-
 gentibus asylum fuit, etiam sub mensa patu-
 lum, ne cuiusquam inopis impediretur un-
 quam accessus. Largè dabitur omnibus. Ab-
 jectus per diem in prolixas preces, etiam per-
 noctabat in templo. Tres illic aras erexerat,
 Magdalenæ pœnitenti, Petro neganti Chri-
 stum, & pio latroni: ad has præcipuè statio-
 num suarum metam fixerat, cum peccatori-
 bus scilicet supplices multiplicans peccator
 lacrymas. Et quantilli errores erant viri tam
 sancti,

sancti, si tua delicta (heu tamen siccus) conferas? *Ex Brev. Viennensi Barri.*

MEDITATIO.

De triplici conversione.

1. **Q**uosdam reperire licet, qui penè cum lacte nutriticis pietatem suxisse videntur, quique à teneris Deo consecrat sese. Beatus, qui portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, siquidem benè agendæ consuetudo naturæ vim obtinet. si fueris id ætatis, Consecra Domino primitias vitæ tuæ. Senex vix laborem sentit, qui ab juventute labori fuerit assuetus.

2: Quidam florentibus annis, mundo & voluptatibus serviunt, sed, cognitâ voluptatum vanitate, nuntium remittunt mundo, ut Dominû sequantur, hoc si feceris, dole quòd tam diu vixeris mundo. Nunc age, curre viam mandatorû, cum breve tempus tibi supererit. Si nondû Deo servieris, ne desperes, sed sine mora viam salutis ingredi. *Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit sed dilationi crastinum non promisit. Aug.*

3. Sunt, qui conversionis suæ principio ignescunt, sed aliquandò post extinguuntur, pietatem fastidiunt, & pristinas repetunt voluptates. Ignave, quid agis? compara, quæso, animi quietem, cum angoribus & conscientie stimulis, qui te manent in mediis sæculi

Bb s

deli-

delitiis: Revoca in animum tuum causas tuæ conversionis, ex iisdem causis iidem effectus orientur.

S. LAZARUS Episcopus.

17. Decembr.

Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce? quem amas, infirmatur. Joan. cap. ii.

Ille Lazarus est quo Fratre Germano nobilissimos Sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere amantem, ut contra ferreas Mortis leges sepultum jam & tabescentem vitæ, & quod caput est, amicitia suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abrahæ non invitus rediret Lazarus. Cæterum sic vivus invidiâ tantum non emori Judæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, stultissimo consilio, cum Fatibus jura dicere Christum viderent notum jam nuper Lazari patronum. Hoc tamen in caelos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus

bus, revixere odia in Lazarum nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è schola Christi & LXXII. discipulis fuit) Marthaque & Magdalena sororibus, Virgine item Marcellâ, exul in navim compingitur velis remisque sed non cælesti etiam aurâ destitutam. Nam Lazarum sociosque in Gallias tulit & innoxios Massiliæ exposuit, Miraculo & hæc & aliæ vicinæ urbes permultæ Christo crediderunt. Tum demum amoribus suis in silvis Magdalena vacavit, Martha sanctis Virginiibus, Lazarus Civibus Antistites præfuerunt. Dubium ergo est Lazarus ne invenerit illic portum, an ostenderit Gallis? certè si absq; Lazaro fuisset, naufragium in portu Massilienses fecissent. *Ex hist. Evang. & Brev. Rom.*

MEDITATIO.

De Lazari suscitatione.

1. **M**irum sanè precationis genus? sorores Lazari, missis ad Jesum literis, sic eum deprecantur: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Enim verò sufficit, suam Christo necessitatem aperire; amat, curabit infirmitatem. Macte persevera in oratione. In rebus desperatis ac depositis, nihil non sperandum in Domino. an non soles ad Deum duntaxat confugere, cum humanam opem frustra adhibuisti? Attamen primùm divinum, tum humanum remedium est adhibendum.

Tandem

2. Tandem adest Jesus, lacrymatur; gratias agit Deo Patri, elatâ voce mortuum vocat; his docet Christus, ad nova beneficia impetranda, gratiarum actionem præmittendam esse. Lætare anima mea, quòd Jesus tantùm te amet, quantùm Lazarum! proinde tuis in afflictionibus utere his verbis: *Domine quem amas, infirmatur; sufficit, ut noveris, non enim amas, & deseris.* Aug.

3. Vocanti Christo sine mora Lazarus obediens, surgit è feretro. Domine, à tanto tempore me vocas & dicis animæ meæ: exurge, quare obdormis? sed surdus sum, vocationem & inspirationem tuam non audio. Anima mea? jam tempus est Deo parendi. *O vita? qua das mihi vitam, per quam vivo, sine qua morior, ubi te inveniam, us in me deficiam, & in te subsistam.* Augustin.

S. MODESTUS Confess.

18. Decembr.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Epist. ad Philipp. 4. v. 5.

NObiliores nemo Modesto habuit cunas. Rogas quales? Carceres fuere, in quos ad captivum patrem vix natum mater asportavit, docuitque à teneris Martyrem esse. quinto à partu Mense inter preces uterque parens inibi animam Deo reddidit, opulentam filio heredi.

hereditatem vincula post se relinquens. At
 hanc invidens Maximianus Imp. educandum
 viro Senatorii Ordinis tradidit. Sperabat hic
 patris nomen; sed cum primum Modestus
 per ætatem intelligere cunabula sua potuit,
 doluit scilicet vel inscium se à parentum vesti-
 giis deflexisse; & degenerem tam diu se puta-
 vit, quousque fugâ Athenas delatus Christia-
 nis se junxit. Hic dum sacro lustratur fonte,
 radiantem ignibus columnam in caput pueri
 descendere Episcopus vidit, Cum deinde è
 Cive Genium malum, è sorore vero Heri sui
 morbum depulisset, hæredem hic Modestum
 cum cæteris liberis suis scripsit. At isti, quò
 potius accederet aliquid ad hereditatem,
 quam decederet, Ægyptio homini & à sacris
 nostris alieno Adolescentem vendiderunt.
 Septem annos cum servisset, è servitute Deo-
 rum tandem etiam Dominum eripuit, & li-
 bertus Solimas abiit. Ibi demum ad Patriar-
 chatûs dignitatem evehctus, cum veneno in-
 fectum fontem purgasset, fontisque incolam
 serpentem neci, cacodæmonem sub cane la-
 trantem fugæ dedisset, hospitioque, qui in
 servitutum illum dederant, cohæredes illos
 suos peramanter excepisset, dignam Natali-
 bus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia,
 vel

vel cælo teste, tunc columnam suam. Imo non amisit; transtulit eò, ubi ipsa sese ædificat. *Ex Meneis.*

MEDITATIO.

De modestia & moderatione.

1. **M**odestia & moderatio secundum D. Bernardum hominem in medio collocat, ut nec infra deiciatur, nec supra attollatur, non evadat longius, non attollatur latius, sed medium teneat in omnibus. *Locus medius tutus est, & medium est sedes modi, modus autem in rebus virtus est.* S. Bernardus libro de consideratione. Quantum à medio te passiones abripiunt? Cave tamen etiam medium ne quæras Deum inter & Dæmonem, volens nec Deo, nec Dæmonē servire, qui *mecum non est contra me est dicit Dominus.*

2. Modestia mutus orator est: Exemplo plus persuadebis quam facundiâ. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro monet.* Apost. 1. Cor. 6, quem videris portare in corpore tuo? an Christum? an verò tetricum saturnum, furibundum Martem, lascivam venereum? dolosum Mercurium? fac discere possis. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus, & videant homines in te Christum vivere.*

3. Ubi Apostolus dicit *modestia vestra nota sit omnibus*, subjungit, *Dominus prope est.* Memoria præsentis Dei faciet, ut sequaris monitum D. Ambrosii Libr. 3. de officiis. *Nihil turpe faciendum bono viro etiam si omni ex parte lateat.* Sive palam, siye clam, idem fit; Deus te videt

videt, deus juxta te est. deus intra te est: deus tecum est.

S. MEGENGAUDIUS CONFESSOR.

19. Decembr.

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet fons aqua salientis in vitam aeternam. Christus Joan. c. 4.

Illa demum vera nobilitas est, non pauciores virtutes, quam ceras potest numerare. Potuit Megengor Geldria Comes, idemque fortissimus militum Dux, & hoc nomine Imperatori Ottoni III. cum primis charus. E conjugē Gerbirge Zutphaniensi item Comite cum filias IV. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expectas? scilicet lacrimas vel armato Marti exprimendas, & dignos patre gemitus? viduos matris capillos & lacrum planctu pectus? omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovere paren-

parentes, hoc est mortalem. Utique mortem lecturam maturos ætate fructus suos, quæ immaturos carperet latis oppidò jam vixisse parentes, qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur Megengor & in tuto locare impedimenta. Opes, hoc est, in Cœnobio, cui Adelhaidem filiam præfecit, deponere; ipse quoque animo à mundo abesse, cum non posset corpore; castitatem deinceps cum conjugè colere; lectioni sacrarum literarum se dedere; denique in oculis nihil præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu Conjugis tertio. Mortuus filia primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *ecce moritur justus & nemo recogitat*, tum alteri deinde è Virginibus regio habitu fulgens nuntiansque Megengoris nomen in Megengaudii sibi mutatum esse. *Ex vita S. Adelhaidis & Melano.*

M E D I T A T I O.

De gaudiis Paradisi.

1. **M**undana voluptates haud absimiles sunt aquis cœnosis, quæ nequeunt sitim depellere. An vidisti auri, vel gloriæ vel voluptatis avidum, cujus omninò expleta sit habèdi sitis? an tu, vel cum pluribus bonis creatis abundasti, omnino fuisti contētus? nunquid semper aliquid defuit tuæ felicitati? Heu me? fontem vivum

vivum derelinqui, ut cœnosis ac vanis voluptatibus me immergerem. Domine? da mihi aquam gratiæ tuæ, quæ sola potest sitim meam satiare.

2. Unus deus explere potest animum tuum, ut pote, qui sit infinitum, æternum, & omne bonum. Ah? Domine, satiabor, cum apparuerit gloria tua: in cœlesti Hierusalem torrenre voluptatis potabis me: nihil timebo, nihil cupiam, nihil amabo præter te, mi deus, qui fons es bonorum omnium.

3. Ut tantis gaudiis aliquando potiaris, debes nunc bibere calicem Passionis Christi, panem assiduis fle-
tibus rigare, & cœlum, quàm longa erit vita tua, suspiriis petere. Adhæc oportet, ut haurias aquas de fontibus salvatoris, hoc est de Sacramentis, mediteris Passionem Jesu Christi, ac virtutes ejus imiteris. Da te Deo per breve tempus vitæ, & Deum per æternitatem possidebis. *Regnum cœlorum venale est, tamen aliud non querit pretium, quàm te ipsum; Aug.*

SS. AMMON & SOCII
MART.

20. Decemb.

Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.
Christus Matth cap. 13.

Cc

Sub

Sub annum partæ salutis CCLIII. Alexan-
 driæ eodem tempore in Christianos sævi-
 tum est & in latrunculos animadversum; si-
 mili in longè dissimillimos supplicio. Forte
 inter nomina horum nomen delatum est Ge-
 nesii. Hic quòd extra culpam esset, facilè se
 purgavit; Sed dum à latrocinii suspicione ab-
 solvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil
 negare jam Genesius, gloriari hoc facinore.
 Latronibus igitur sociatus pejusque his ipsis
 habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii
 genere territus alius quispiam è Christianis,
 cum nutare non dubiis signis ad tribunal im-
 pium videretur, ecce Ammon Zeno & Pro-
 lomæus (hi ipsi, quos pinximus, milites) per
 medium agmen penetrare, & cum verbis non
 possent, nutu labantem ad constantiam hor-
 tari. Itaque jam oculis annuere, jam mani-
 bus loqui, jam lacrimis & gemitibus clama-
 re, jam toto corpore supplicare, ne indi-
 gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc
 ipsum verò cum oculos non posset fugere spe-
 ctatorum, vulgum scilicet in se armarunt.
 Tum verò nihil dissimulandum amplius rati
 in medium omnes prodierunt, & Christum
 jam pleno etiam ore confessi populum omnè
 in stuporem rapuerunt, socios contra tyran-
 num

num mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quòd cæli civem, hoc est, Martyrem servassent. *Ex Epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

M E D I T A T I O.

De gratia vocationis.

1. **D**Eus nulli denegat gratias ad salutem, modò faciat, quod in se est, sanè plures Christianis, quàm cæteris hominibus conceduntur. Igitur memorem te, ac gratum Deo præbe, maximè propter vocationem ad Christi fidem, à qua aliæ plures manârunt. Memento, quòd graviùs quàm gentiles punieris, si tot tibi concessis gratiis malè usus fueris, nam *tantò graviora erunt delicta nostra, quantò majora se ostenderint divina beneficia. Cæli.*

2. Perperàm divinis gratiis utimur, cùm ad vocem Domini vel obduramus corda nostra, vel procrastinamus: Tumultuosos animi motus comprime fuge mundi strepitum. Vade in solitudinem, & deus loquetur tibi ad cor; cùm autem vocem ejus audiêris, si ne mora obedias ei. Ambula, cùm lucem gratiæ habes, & noli ad mortem rejicere conversionem tuam.

3. Qui rectè divinis gratiis utuntur, magis ac magis iis cumulantur; qui malè, aliis concessis etiam nudantur. Cave, ex hac neglecta gratia, æterna forsan pen-

det calamitas; noluit saluti vacare cum poteras; veniet mors, non poteris, cum voles. Nam illa est peccati pena justissima, ut qui rectè facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.

S. THOMAS Apostolus

21. Decembr.

Quia vidisti me Thoma, credidisti?

Beati qui non viderunt & crediderunt. Christus Joan. cap. 20.

Divus Thomas est, cui etiam palpate fidei licuit; & profuit, dubitasse Thomam, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & Elephanti movere loco frustra laborarent, obsequentem ipse cingulo suo per miliaria X. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub coeptas Hispanorum navigationes vidimus. Cæterum fuit è sacrificulis tum temporis

poris, qui suâ manu filium mactavit, scelus-
 que Thomæ affinxit. Hic alium nullum pro
 se causam dicere Thomas voluit, quàm infan-
 tem mortuum, quis credat? Absolvit diser-
 tis verbis infans Thomam, & patrem suum
 damnavit. Enim vero his miris uti nuper ar-
 borem, ita nunc in sententiam Regem ac po-
 pulum omnem traxit, si unos sacrificulos de-
 mas, qui aliò ab invidia abstracti precanter
 ante sacram Crucem Thomam sagittis primò,
 tum hastâ trajecerunt, strenuum utique fidei
 propugnatorem, qui, ut signa defenderet,
 cecidit ante signa. *Ex Maffejo & Osorio.*

M E D I T A T I O.

De vita S. Thomæ.

1 **S** Thomas fuit incredulus, quippe qui credere
 noluerit. Dominum à mortuis surrexisse, ni-
 si cum vidisset, & tetigisset: Num & ego sum incre-
 dulus? nam si, ut fidelem decet omninò crederem,
 Jesum pro me mortuum esse, probis gaudia, impro-
 bis supplicia præparari, nunquid sanctiùs viverem?
Væ! quibus priùs hac experienda sunt, quàm credenda. Exl.
 Emiff.

2. Ubi S. Thomas vidit Jesum, & ejus vulnera te-
 tigit statim revixit ejus fides; avola, anime mi vola ad

vulnera Jesu Christi, ibi firmatur fides, augetur spes, & charitas perficitur. An credo, quòd fuerit propter me flagellatus & crucifixus? Ah! si crederem, qui voluptates amarem; cum ipse tantum dolores amaret.

3. Fides S. Thomæ nequaquam fuit sterilis, nam proprio sanguine Evangelium confirmavit, quod in remotissimis Regionibus prædicaret. Vana est illorum fides, qui verbis jactant se credere, & nosse Christum, factis autem negant. An paratus esses, sanguine fidei veritatem confirmare? tu, qui Dei gratiam & Paradisi spem breviori gaudio postponis? quomodo te Christianum dicam, cum ne hominem quidem te probes actionibus tuis? *Si verè te hominem appellare nequeo, quo tandem modo potero fidelem vocare?* Chryl.

S. ANASTASIA Martyr.

22. Decemb.

Christus passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Petr. 1. c. 2

A Nastasia è Romano & patritio sanguine Patrem in Fide agnovit S. Chrylogonum. Nupta viro (Publio Nomen erat) à
Christia-

Christiana religione alieno, Matrimonii usu
semper abstinuit, sive castitatis amore, sive
superstitionis odio. Interea tamen mater pro
Christo victorum audiebat, quos illa sum-
mis studiis ultimisque servitiis colebat, tunc
præsertim, cum Coniunx malus malam mor-
tem obiit, qui carcere omnibusque malis,
dum vixit, Anastasiam exercuit. Publio Ul-
pianus in impietate successit, sed quod vim
inferre castissimæ tentasset, oculos primò or-
batus, mox vitâ eiectus Publium ad Orcum
quoque subsecutus est. Sub hæc cum bene
magnus numerus Christianorum in navim
perforatam imponeretur, certo naufragio pe-
rituris Dux Anastasia data est. Sed neque sic
navigantibus sidera defuerunt. Visa est in ve-
lis D. Theodota nuper è flammis cum tribus
filiis astris inserta. Hæc Helenâ magis propi-
tia navim ad littus appulit. Sed hem in por-
tu alia tempestas insurgit! Anastasia tribus
palis alligata igne exuritur; socia turba omnis
per diversa supplicia fortes animos expirat, eâ
in vultu & oculis lætitiâ, ut ad Nuptias ire o-
mnes dixisses. Et ibant, sed Agni; iturî por-
rò, quocunque hic iverit, quid? quod vesti-
gia sua, quò nos etiam sequi sciremus, san-
guine signârunt. *Ex Metaph.*

Cc 4

MEDI-

MEDITATIO.

De amore Jesu Christi.

1. **A** Nimum rectè præparaveris ad Christi Nativitatem, si ejus in te amorem fueris meditatus: is amor (ut refert D. Bernardus) fuit tener, fortis, & sapiens. Jesus teneriori amore nos complexus est; nam vidit miseras nostras, & commota sunt viscera ejus. Cur amantissimum Jesum non redamo? Ah! lapideum est cor meum; Jesu corpusculum riget in præsepio meâ causâ, nec moveor!

2. Amor Jesu fortis fuit, quoniam, ut nobis beneficeret, atrociora supplicia, & mortem ipsam superavit. Ah, Domine! parùm fortis est meus in te amor, cum levissimo dolore vincatur. Amare Jesum nihil facilius. Non omnes possunt jejunare, peregrinari, largiri elemosynam; ast omnes possunt amare Jesum, nam ad eum amandum unum cor sufficit. Quid dulcius, quàm amare, quòd amabilissimum est?

3. Amor Jesu sapiens fuit, quippe portam Paradisi aperuit. Patitur ille quidem, nos hac in vita variis procellis agitari, ut in portu hilares simus: hac ratione te ipsum ama. Nunc denega corpori leviores & breviores voluptates, ut olim maximis & æternis fruatur. *Scis ea quæ tibi obveniunt diligere, & te ipsum nescis diligere, sed tibi tu charior, quam tua.* Eucher,

S. SER.

S. SERVULUS Confess.

23 Decemb.

*Quid autem vides festucam in oculo
fratris tui, trabem autem, que
in oculo tuo est, non consideras?*

Christus Luc. cap. 6.

DE hoc sancto, Encomiastes ejus Magnus
Gregorius. *fructum, ait, attulit terra bona
cum patientia erat enim Servulus, à puero; e-
gens & clinicus: siquidem paralisi adeò ejus
dissoluta ad mortem usque membra sunt, ut
sine aliorum ministerio, nec cibum sumere,
neque se movere ulla ratione posset. Eleemo-
synas, quas sub fornice ad S. Clementem R. o-
mæ habitans, acceperat, egenis communi-
cavit, mater ei cum fratre, ad omnem neces-
sitatem, dextra & sinistra fuere. Hi cum ipse
analphabeticus esset, ad votum ejus coemere
sacros libros, quos prælectos sibi æger, adeò
firmâ memoriâ rapuit, ut totos mente volue-
re, & aliis recitare posset. In omni dolore,
qui assiduè torquebat, sine ullo intolerantiæ
signo, Deum laudabat: ita, cum morbi in-
crescente violentia & per vitalia grassante, se*

Cc §

ad

Nativi-
tatis,
ortis, &
us est;
viscera
Ah!! la-
n præ-

s bene
opera-
amor,
ihil fa-
ri, lar-
esum,
d dul-

radifi
s pro-
one te
revio.
atur.
figere,

ER-

ad extrema pervenisse persentisceret, sacros
acciri domi suæ hospites, & Psalmos prælegi
voluit, quod dum fieret, exclamans subito
æger, *Tacete, ait, tacete, Angelicum melos audio,*
cui dum arrectus auscultare videretur, anima
soluta est, odoris incomparabili fragrantia to-
tum conclave replente. Sic Servulum sem-
per patientem excepit cœlum, nunquam to-
lerantes, ah! quò recipientur. *S. Greg. hom. 25.*
in Evang.

MEDITATIO.

De vita S. Servuli.

1. **S**ervulus heroico animo duram paupertatem, &
Smorbum tulit. Nunquam questus est, imò ma-
gis pati cupiebat. Quid dicis ad hæc? compara affli-
ctiones, & patientiam tuam cum afflictionibus, &
patientia ejus; pudeat te, toties conqueri, quod pau-
perem & ignobilem vitam vivas. *Christus pauper est,*
erubescamus: humilia est, erubescamus. Chryl.

2. Hic sanctus superabundabat gaudio in tribula-
tione: hilaritas vultus, sermonum suavitas, ejus argue-
bant lætitiâ. Nec mirum inflammatus amore divi-
no jugiter orabat, & laudabat Dominum. Omnis a-
maritudo dulcescit oratione, & futurorum gaudio-
rum

rum spe præsentia mala vincuntur. Unde tædio molestissimo nonnunquam exederis? Nonne ex eo, quòd oblivisceris Dei, qui solus potest te consolari?

3. Beati servuli vita clausa est morte suavi ac felici; ultimo vitæ momento nihil timet, sperat omnia: miseras ac dolores linoquit, ut incredibili gaudio, imò & gaudiorum fonte potiatur. O vos! qui lugetis, variis pressi miseriis, luctum abstergite: vitæ finis initium erit gaudiorum. Mundi hujus felices! ex voluptatum cæno in malorum oceanum transferemini, Seu senex, seu juvenis fueris, dispone domui tuæ. *Nam mors senibus est in januis, juvenibus in insidiis.* Guerri.

S. NICOLAUS Miles.

24. Decembr.

Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. S. Joan. Baptist. Luc. cap. 3.

HAnc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quàm triumphos suos vendere? Nicolao nostro crede, qui cum in Bulgaros movit, Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquam

quam bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter Nicolaus repulit Verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnam victoriam canere, solus ex omni exercitu Nicephori Victor. Etenim sub noctem Somnus Nicolaum in campum producit; videt stantes utrinque acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hædere, Interea aspicit ex Cælestibus Ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus aleam belli regebat & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cum sinistram pedem dexter premebat, Romani; cum sinister dextro incumberebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cælorum corpora locum vacuum videt, auditque fatalem eum sibi & Commilitibus suis futurum fuisse, si Veneri heri palmam cecidisset, Somnii veritatem cum Sole dies ostendit & strages Romanorum, quibus vincuntibus primò, Bulgari ultimò victoriam extorserunt. Tum enim vero Nicolaus rectius dehinc bellaturus nomen militiæ Religiosæ dedit. In hac tot trophæa posuit, quot pugnas pugnavit. Illud nobilissimum omnium est, quod Nicolaus de Nicolao statuit.

Ex Menais.

MEDI-

MEDITATIO.

De Vigilia Nativitatis Christi.

1. **P**Rægnans Maria in oppido Bethleemico ostium hospitium quærit, nec est ei locus ullus in diversorio. Quàm dudum Jesus pulsat, instat ad ostium cordis tui? & simulas te eum non audire. Hodie, Domine, confessus ritè peccata, parabo, & aperiam cor meum; veni, Jesu, veni, quid te moratur? an superbia mea, an acedia, an terrestrium bonorum amor? Ah! faceessant hæc omnia, ut ad me venire non grave-
ris.

2. Sunt qui Jesum recipiunt eodem modo, quo eum recepturus erat Herodes si apud ipsum divertisset. Tu cujus in pectus cras Jesus venturus est, cave, ne tam benignum hospitem malè habeas, ne peccatis sordidum sit hospitium. Cave item, ne statim novis peccatis Jesum expellas. Væ illis! qui Christo hospitium præbent, vitiiis contaminatum. *Non minus peccant quam qui Christum tradiderunt crucifigentibus Iudæis.* Aug.

3. Adesto sacro quod fiet sub mediam noctem, ut nascentem adores Jesum; sed par sit humilitas, pietas & fides tua humilitati, pietati & fidei pastorum; idem quippe Deus nascitur in altari, qui olim natus est in Præsepio. Observa humilitatem, & verecundum amorem Mariæ, & Josephi coram hoc suavissimo Puellulo; abjice te ad pedes ejus: aperi cor tuum: roga ut in eo solus dominetur.

NATI-

NATIVITAS JESU CHRISTI.

25. Decemb.

*Peperit filium suum primogenitum,
& pannis eum involuit & reclina-
vit eum in praesepe: quia non
erat ei locus in diversorio.*

Luc. cap. 2.

Euge Nox omni die candidior! Vides,
quæ nullus dies vidit. Surgit, ecce, non
abundis, sed stipulis Sol meus. Superi! tam
propè junctam Soli quis unquam Lunam
conspexit? viden ut è filii vultu lætiores ra-
dios mutuetur maternus oculus? Cæcus
sum, nisi in hac nocte amorem Dei mei video:
video, video in hoc speculo ruborem meum.
Stabulum, stipulæ panni arguunt: Boreas
frigus pectoris accusat: Bos asinusque ingra-
tum clamat: loquaces puelli lacrimæ & è par-
vo pectore magni gemitus damnant. An sisto
igitur me reum? at iratum metuo. At infans
est: risu placatur, negant manus tam parvæ
fulmen ferre si ferre velint, fasciæ vetabunt;

Mater

U Mater non feret. Et nunquid non pacem An-
 geli nuntiant; Quid? quòd blando insuper
 risu puer dulcissimus invitat, obvius etiam i-
 turus, si pedes ferrent. Certè in amplexus
 brachiola offert. In tam amica vincula non
 curiam? Imò pedibus plumbum denique
 demo. Ite, omnia puero vos membra subster-
 nite. Fœnum etiam vos estis. I; culcitra lin-
 gua esto, aptior Verbo non potest esse. Et tu
 corpulvillum præbe, tactu mollesces. Vos
 quoque ite suspiria, & argentem fovete. Eja
 brachia in fascias; in balnea oculi abire. De-
 nique ignoscite, qui aëra & rusticos mulcetis,
 filete Angeli. Præ omnibus modulis vestris
 vox optima, vox vagientis placet.

MEDITATIO.

De Nativitate Christi.

I. **P**Aupertas Christi, quæ elucet hoc in mysterio,
 divitiarum contemptum cuique ingenerare de-
 bet. Jesus intempestâ nocte, & durissimo anni tempo-
 re ab omnibus derelictus, nec tectum, nec igne habet.
 An audis Iesum, qui primùm ex præsepio docet pau-
 pertatem? An amas virtutem, quam tantùm amavit
 Iesus; ut ejus causâ æternos Patris sui thesauros reli-
 querit

querit? *Qua avaritia sanari potest, si paupertate filii Dei non sanetur?* Aug.

2. Mira est humilitas nascentis Christi, quippe, qui nascatur in stabulo, ex egena Matre, quæ fabro fuerat desponsata. Cùm nihil non sit humile hoc in mysterio, Christiane quomodo potes pasci fumo vanitatis, & honores ambire? Disce, quid amare, & æstimare debeas; ac persuasum sit, veram Christiani gloriam imitatione humilitatis Christi contineri.

3. Hominis causâ eò paupertatis, & humilitatis reductus est Iesus: periit humanum genus, cùm homo voluit fieri Deo similis; redemptum est, cùm Deus factus est homo. Iesus pro sua in nos pietate fit nobis similis, fiamus utique similes Iesu; pateat illi aditus cordis nostri; ubi gratiâ suâ nasci cupit: & cum in corde nostro natus erit, eum nutriamus piis operibus nostris. *Christus in nostris mentibus nascitur, crescit, roboratur.* Paulinus.

S. STEPHANVS Martyr.

26. Decembr.

Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Act. cap. 6.

Primus

Primus pro fide Christiana sanguine suo
 Stephanus subscripsit, ut purpurati in
 celo agminis Antesignanus non immerito
 habeatur Sapiencia Deoque plenus, eoque
 ab Apostolis inter VII. principes Diaconos
 adlectus, mirum est, quam multis magnis-
 que prodigiis sive Christianorum animos e-
 rexerit, sive fregerit dejeceritque Judæorum.
 Et movit ea res bilem indurato ad omnem
 malitiam populo, ut, veluti legem profa-
 nasset, in jus raperent. Sed ille pro Deo &
 se ita dixit, ut ad oculorum verborumque
 fulmina attoniti omnes hærent, jamque
 non in hominem pugnare se, sed Angelum
 crederent. Stephanus hoc acrius victis in-
 stare, tunc præsertim, cum ad spectacu-
 lum celo se effundente, virtutis arbitrum
 ponere dextram Patris stantem Christum ha-
 bere se vidit. Itaque cum urbe exturbatus
 saxis obrueretur, in genua subsidens egre-
 gius triarius fortissime omnia exceptit; Deo
 identidem nunc se, nunc hostes suos com-
 mendans. Et licet horum causa pessima ef-
 fet, tam bono tamen Patrono perorante,
 veniam impetravit Saulus non ita multo
 post Christo conciliandus, & in Paulum mu-

D d

tandus,

tandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse. *Ex Act. Apost.*

M E D I T A T I O.

De morte S. Stephani.

1. **S**tephanus se palam profitetur discipulum Iesu Christi; etenim plenus gratiâ & fortitudine mortem non timet. Generosa fides, & ipsa cœlorum contemplatio omnes omnium dolorum aculeos obtundebant. Si tantulum fidei haberem, si interdum animo contemplarer Iesum, cœlestem mihi coronam præparantem, quid amantissime Iesu quid præter te amarem, aut timerem?

2. Forti & alacri constantiâ excipit lapidum grandinem, imò moriens orat pro persecutoribus suis. Patere in gratiam Iesu Christi, qui exemplum dedit; patere persecutiones & mortem ipsam, si expediat, sed forti, animo; quin etiam Deum ora pro persecutoribus tuis. An scire cupis, cur S. Stephanus tam facile pateat suis carnificibus? Novit eorum beneficio cœlos aperiri. *Nec mirum, se is nescit irasci, per quos videt, aulam regni cœlestis aperiri. Euf.*

3. Acta Apostolorum his verbis exprimunt mortem S. Stephani: *obdormivit in Domino.* Mors ejus fuit

fuit somno similis, utpote, quæ belli finis, & pacis initium fuerit. Moriar, Domine, moriar ut sancti, quorum mors tam pretiosa est in oculis tuis. Vivamus, patiamur, laboremus, ut Iusti & morte Iustorum moriamur. *Moriatur anima mea morte iustorum!*

S. JOANNES EVANGELISTA.

27. Decemb.

Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus. S. Joan. cap. 21.

ECce, Mater Magna, Filius tuus! Ecce quisquis Filius Mariæ es, germanus Virginis Sodalis Ioannes, cui ultimùm cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in Matrem Matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Ioannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cælestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, inno-

Dd 2

xium

xium bibit, nec ab hoc tantum abhorruit, quantum ab hæreticis, Cerintho præcipue, quocum ne lavare quidem eisdem in balneis voluit. Amorem eius aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cum oleo Romæ ab igne bullienti immixtus fuit. Aiebat summam legis Amorem esse. Illud unum in ore habuit: Filioli diligite alterutrum. Certè quantum animos dilexerit, argumentum ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus Ioannes Episcopo unicè commendaverat, sed pessimo Custodi, Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadit. Subinde Ioannes adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tam diu insequitur, dum lacrymis suis sistit, canisq; & amplexibus impeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntq; ab Orco rapi, quàm à cælo capi. *Ex Baron.*

MEDI-

M E D I T A T I O.

De vita S. Joannis.

1. **E**Cce amicus Iesu Christi! qui supra ejus pectus in Cœna recubuit, & novit penitiora divinitatis arcana. Hoc primò statuitur inter amicos, ut amicus amicum nihil celet. Novit ne Iesus secreta cordis tui? Nihilque aggredieris eo inconsulto? Potes tu quidem, per vulnus lateris quolibet tempore cor ejus subire, ipse verò non item: nam cor tuum Iesum capere non potest, cum tot profanis rebus sit plenum. *Amate, Deus meus, semperq; magis, amare cupio, Aug.*

2. Altera lex amicitiae est, bonorum communio. Vivens Iesus totum se Iohanni dedit, & moriens eidem legavit castissimam Matrem, dicens: *Fili ecce! Mater tua;* Iohannes autem se, suaque omnia devoverat Christo. Te pariter totum Iesu trade, si velis esse amicus ejus. Quem amas anime mi? Quid dedi amantissimo Iesu? An voluntatem, intellectum; an omnia denique illi consecravi.

3. Tertia amicitiae lex est morum conformatio. Amor aut similes invenit, aut facit. Indè Iohannes tam graphicè Iesum expressit, ut alter fuerit filius Mariae. Amabit te Iesus, si fueris illi similis; ut id assequaris, non opus est, ut recumbas super Domini, sed, ut Dominus recumbat super pectus tuum. Et acquiescas divinae voluntati. *Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est. Hier.*

SS. INNOCENTES MARTYRES.

28. Decembr.

*Herodes mittens occidit omnes pue-
ros, qui erant in Bethleem, &
in omnibus finibus ejus, à bima-
tu & infra. Matth. 2.*

Mala omnia nunciabat Herodi nuncius
à Magis allatus. Quid? mea demum
corona erit, quæ duos Reges ferat? aut Re-
gni mei alienum hæredem vivi spectabunt
liberi? vivus ego? quin caput illi nunc au-
fero, ne ille diadema mihi? purpuram si am-
bit, domi habet; suo pingat de sanguine. At
ne novi quidem hostem meum. Hoc plus e-
tiam metuo. Certè infans est. Pereat hic
omnis in Regno, ut unus ille pereat. Etiam
innocens? jam nocens est, qui hostis est.
Sed qui hostis? quia ego hunc timeo, Sed
tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Re-
gis nomen est. I. miles, omnes bimulorum
cunas evertet; balneum his para cruentum,
sed dignum hoste. Hæc ille; cùm interea An-
gelus

gelus Parvulum Regem, Magnumque exu-
 lem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit.
 Sæviit nihilominus barbarus mucro. Ubique
 clades & funera. Vidiffes majora vulnera,
 quam corpora, plus lactis fundi quàm san-
 guinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc
 è gladio, illum ab hasta pendere, multis teli
 vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœ-
 nas Tyrannus: morborum enim omnium
 theatrum factus, eodem anno, cum tot ho-
 micidia parricidió insuper maximi natu filii
 cumulasset, vitâ regnoque excidit periitque.
 At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ri-
 detque etiamnum tyrannum, quòd talis In-
 fantes timuerit. *Ex Bar. & Saliانو.*

MEDITATIO.

De Festo SS. Innocentium.

I. **H**I pueri nondum nôrunt Christum, pro Chri-
 sto tamen sanguinem fundunt. A tanto tem-
 pore Deum nôsti, utpote, qui innumeris beneficiis
 te ornârit, quid piger es ejus in obsequio? horum
 puerorum exemplo, ætatis tuæ florem, & annorum
 primitias consecra Domino tuo, *Quam beata ætas?*

D d 4

necdum

necdum Christum potest eloqui, & jam pro Christo meretur
interfici? Euf. Emiff.

2. Hi primogenii Martyres non loquendo, sed mori-
riendo confessi sunt. Expedit ad Dei gloriam, ut pa-
tialis silentio, dum calumniis, dum persecutionibus
vexaris, file, & patere. Coram Deo muta patientia
eloquentissimum testimonium est virtutis. Non ver-
bis, sed factis probatur fidelitas servi, Frustra dicis:
*tuus sum Domine, nisi passus fueris & laboraveris in gra-
tiam Domini tui.*

3. Si cœlum cogitas, habeas, oportet, horum pue-
rorum innocentiam. Quod si candidam baptismi ve-
stem fœdâris, elue maculas ejus aquis pœnitentiæ. O-
culi mei! nunc largos fletus fundite, quibus inferni &
purgatorii ignes extinguantur, & abluantur peccata
mea. *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* O
te beatum, si, ut illi parvuli, Martyrii palmâ donare-
ris! *Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad co-
ronam.* Cypr.

S. THOMAS ARCHI-
EPISCOPVS.

29. Decembr.

*Qui servat mandata ejus, in illo
manet,*

manet, Et ipse in eo. S. Ioann. I. Epist. cap. 3.

Non jam primùm sanguine piorum rigaris Anglia. Jam olim fuso Thomæ cruori fructum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis induxisset. Sed ego ad Thomam me verto. Adolescens cum eripere aquis accipitrem laboraret, ipse iisdem pene abreptus est. Sed molæ rota exitium aliàs adnatantibus, tunc sponte suâ consistens in homæ scala fuit. Debebatur scilicet diutius Angliæ regno, cuius Cancellarius postea creatus à rege est. Paulò post hic Insulam Cantuariensem addidit, quam tanti Thomas fecit, ut hanc postea regi edictis impiis contra Ecclesiam pugnantibus non dubitarit opponere; quin solâ cruce armatus cum irato congregari. In illa pugna, ut amat fieri ad tribunalia, damnatur Innocentia ad vincula. Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum Rex omnes amicos Thomæ egit, ut si non suæ suorum certè miseriam succumberet. Sed his calamitatibus ille ad Martyrium velut tyro ad palum se exercebat. Nec multò post ipse conspicuus Christus ad palmam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit Tho-

D d 5

mas

mas in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulum deinde præbet, cadit & muneris sui neque post mortem oblitus bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando Thoma bene Angliæ tuæ precare. *Ex Eduardo.*

M E D I T A T I O.

De amore Dei.

1. **H**Is tribus reliquis diebus videbimus quid debeamus Deo, quid proximo, quid nobis, creatus est homo ad hunc finem, ut Deum amet ante omnia. Amare Deum, hominis negotium est cætera nugæ? *sola stat in toto virtutis gloria mundo, præter amare Deum cætera fumus erunt.* Dic amabo, præbere ne posses, tuis operibus amâsse te Deum anno præterito? Excute facta, cogitata, verba. Quo abiêre tot dies, quò tot horæ?

2. Quoties in Deum peccâsti; & ejus neglexisti mandata? Quoties extinxisti sacros Divinæ gratiæ igniculos, & sacramenta profanâsti? ad tacitum conscientiæ tuæ testimonium si attenderis, dices cum Davide: *Domine tibi soli peccavi.* Simulatâ probitate vir frugi habitus sum coram hominibus, & coram te, Deus meus, qui scrutaris renes & corda, quid profuit larva sanctitatis?

3. Quid

3. Quid horum omisit Deus, quæ tibi hoc anno præstare poterat? tu verò quid non omisisti? Age sis? anime mi, reliquum certè tempus hujus anni, & vitæ nostræ, Dei gloriæ & salutis nostræ allaboremus? *De-
dimus corpori annum, demus anima dies: vivamus paulu-
lùm Deo, qui saculo viximus totum.* Petr. Chrysol.

S. PHILETÆRUS CONFESSOR.

30. Decembr.

In hoc cognoscunt omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. c. 13.

Mirentur alii in Philetæro Procos: Nico-
mediæ filio illustre formæ decus quæ il-
lum ævo suo Diis parem homines fecerunt;
ego in pulcherrimo corpore pulchriorem ani-
mum demiror exosculorq̃; & hoc amplius,
quòd animi æstimator ipse egregius, nihili
membrorum! decorem fecit, omnibusq̃ue
tormentis præbuit lacerandum. Primùm
Diocletianum vicit, qui cum blasphemus
Christum incesset, vindex divini honoris
Phile-

Philetærus terram coelosque ad iras movit.
 In fornacem deinde succensam injectus ipso
 pulchrior egressus est. Jam sub Maximino
 virgis uncisque foedum in modum acceptus,
 omnium tamen in se oculos Superum rapuit,
 & tum denique his formosus est visus. Fera
 sive formâ & ipsæ, sive fortitudine adolescen-
 tis captæ ad pedes se abjecerunt Victoris; feras
 verò cum duo homines induissent, gladioque
 Martyri imminerent, in loco obriguere. Ul-
 timò cum virtus hæc oculos jam Tyranni e-
 tiam perstringeret, exulare jussa est. Et ecce
 de via morbi dæmonesque mali cedere, pedi-
 bus Dii se & templa sua substernere: quibus
 permotus Comes cum VI. militibus Fidem
 nostram est amplexus. Philetærus cum Eu-
 biotum virum sanctitatis famâ celeberrimum
 adiret, monitus hic ab Angelo bono obviam
 Martyri progressus est. In ejus antro Divum
 septimo die, socios verò duodecimo, ab exi-
 lio mors absolvit. *Ex Menais.*

M E D I T A T I O.

De amore proximi.

I. **S**ive animi, sive corporis necessitatibus prematur
 proxi-

proximus; quibuscunque poteris rebus, eum debes adjuvare. An implésti hoc anno primum hoc Christianæ Charitatis officium? Quo ardore aliorum saluti & charitatis officiis incubuisti? Quot occasiones prætermisisti benefaciendo Christo qui in pauperibus delitescerat? Ne te ipsum decipias. *Si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est.* S. Joann.

2. Cave! ne quemquam factis, aut dictis offendas, quoniam qui proximum offendit, offendit Iesum. Benè sentias de omnibus, nulliusque facta in malam partem trahas. Itáne egisti anno præterito? quoties non paruisti tuis præpositis? Quoties subditis, & æqualibus molestiarum segetem præbuisisti? Num habes aliquem inimicum? si habeas, citò citiùs in gratiam cum eo redi,

3. An demùm aliis fecisti, quæ tibi facta fuisse voluisses? vis laudari tu quidem, vis æstimari vis amari, & egrè admodum pateris eos, qui difficile ignoscunt erratis tuis, atque vel verbulo obscurant tuam famam. An aliis præstas, quòd exigis ab iis. Omnibus in rebus Iustitiam colas. Omnes comiter, paucos familiariter excipies. Quâ ratione cum aliis egeris, eâdem profectò agetur tecum. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*



S. SYL.

S. SYLVESTER Papa.

31. Decembr.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitia. S. Paul. 2 ad Tim. 4

PAtria Sylvestro Roma, Romæ, hoc est patriæ pater ipse Sylvester fuit. Hoc tamen orbare Romam Urbis probrum Tarquinius voluit. Sed Sylvester ad tribunal citatus novo more mortem ludici reus indixit. Dicitum, factum, piscem dum cœnat, os fortè ex hoc gutture receptum Tarquinius hamum mortis esse sentit. Post hæc dum Constantinus rem Christianam curat & sopitæ nuper iterum in pios persecutiones recrudescunt, Exul Sylvester montem Soracten insidet; Impietatis foeditatem ut videret Imperator, leprâ inficitur. Sacrificuli, lepram ut abluat, balneas è parvulorum sanguine suadent. Ingemuere ad consilium impium omnes Romanæ Matres, cum audirent sanguini, quo vel manum aspergere scelus semper non expiandum habitum est, totum velle Imperatorem

rem

rem innatare; Certè innatare rectius tot matrum lacrimis jam poterat. Et verò ejulatus & comploratio totà urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique poenitens censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea Principum Apostolorum species dormienti oblata vocare Sylvestrum jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus lepram corporis animiq; exuit. Triumphum Sylvestro mortuo Anno CCC. XXXV. Coelum descrevit. *Ex Baron.*

MEDITATIO.

Tres reflectiones supra annum exeuntem.

1. **P**Otes ne dicere cum veritate, sicut S. Paulus? Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: Ecce! pervenisti ad finem anni, percurrere animo omnia bona & mala, quæ hoc anno fecisti, & vide, utrum malæ actiones superent bonas.

2. Ubi nunc sunt voluptates & honores, quibus hoc anno fruebaris? transiére omnia, & nihil superest præter tristem memoriam de offenso Deo. Nonne è contrario verum est? percipere te gaudium ineffabile, si consideras paucula illa bona, quæ pro Deo fecisti, sicut

sicut annus iste, ita tua vita, præteribunt, eritque unica consolatio, quæ tibi ad finem vitæ remanebit, quòd Deo serviéris.

3. Si mortuus esses hoc anno in statu peccati mortalis, in quo fortè fuisti, ubi nunc esses? Deus tibi indulset tempus ad faciendam pœnitentiam; illo melius utere in futurum, quàm hucusque factum. Fortassis hic erit postremus annus tuæ vitæ. *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.* S. Aug. Observabit autem, qui perseveraverit in gratia Dei semper.



INDEX